

suam obtinere voluerit. Cui enim ad eligendos iudices undique patet auctoritas, ipse se indignum fraterno consortio iudicat, qui de universa Ecclesia male sentiendo, de iudicio seculari poscit auxilium; cum privatorum Christianorum causas Apostolus ad Ecclesiam deferri, atque ibi terminari precipiat. Habetur c. placuit ut quisquis Episcoporum, 11. qu. 1. Immo etiam Concilium Carthaginense IV. can. 86. quoscunque Catholicos etiam laicos, ad iudicium infidelium vel haereticorum provocantes excommunicationi subijcit.

Can. XI. A spectaculis & omnes laici prohibentur. Semper enim Christianis omnibus hoc interdictum est, ut ubi blasphemii sunt, non accedant.

Require superius Laodicenum can. 54. cum ibi adnotatis. Quod vero Laodicenus canon 11. qu. 1. Clericis interdixit, iste Carthaginensis canon laicis etiam quibuscumque interdicit.

7. Can. XV. Item placuit, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, vel Clerici non sint conductores neque procuratores, neque ullo turpi vel inhonesto negotio victum quaerant: quia respicere debent, scriptum esse: Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.

Habetur c. placuit ut Episcopi, 21. qu. 3. Vide inferius Chalcedonensem can. 3. Porro artificiosum & agriculturna ad quaerendum victum non censentur indigna Clerico ut Carthaginensi Concilio quarto paulo post declarabitur.

Can. XVIII. Ut Episcopi, Presbyteri & Diaconi non ordinentur, priusquam omnes, qui sunt in domo eorum, Christianos Catholicos fecerint.

7. Can. XIX. Placuit ut Lectores, cum ad annos pubertatis venerint, cogantur, aut uxores ducere, aut continentiam profiteri.

Quidam vetusti Codices fecus habent, nihil tamen immutato sensu: Ut Lectores usque ad annos pubertatis legant, deinceps autem nisi uxores custodita pudicitia acceperint, aut continentiam professi fuerint, legere non sistantur. Ergo impuberes etiam Lectores ordinabantur. Quod istis quoque Augustini verbis confirmatur, lib. 1. de consensu Evangelistarum, cap. 10. Ita cecati sunt, ut etiam a pueris, qui adhuc pueriliter in gradu Lectorum Christianas litteras norunt, merito rideantur. Et Siricius Papa epistol. 1. ad Himerium Tarracensem cap. 9. Quicumque itaque se Ecclesia vocat obsequiis, a sua infantia ante pubertatis annos baptizari, & Lectorum debet ministerio sociari, qui ab accessu adolescentiae usque ad trigessimum (alii quidam Codices habent vigesimum) aetatis annum, si probabilior vixerit una tantum & ea, quam virginem communi per Sacerdotem benedictione percepit, uxore contentus, Acolythus & Subdiaconus esse debebit. Scribit Ennodius Ticinensis Episcopus de praedecessore suo Epiphano, fuisse ordinatum Lectorem octavo aetatis anno. Ex isto Carthaginensi canone, & citato Siricii loco addicimus, non modo Lectores impuberes fuisse in Ecclesiis admissos, sed etiam conjugii vinculo adstrictos (modo bigami non essent) ministeria Ecclesiastica, quae non erant sacris Ordinibus adnexa, obiville, accipiendo etiam ob ministerium Ecclesiae stipendia, ut declarat Gregorius Magnus, in respon. 2. ad Augustinum. Vide in Decretalibus tit. de Cler. conjugat. Sunt & alia pleraque apud veteres Scriptores indicia, impuberes olim fuisse canonicè minoribus Ordinibus initiatos. Zosimus Papa epistol. 1. ad Helychium Salonitanum Episcopum cap. 3. sic ait: Haec autem in singulis gradibus observanda sunt tempora, si ab infantia Ecclesiasticis ministeriis nomen dederit inter Lectores, &c. Victor Uticensis Episcopus, in sua Vandalicæ persecutionis historia, confessionem inter cruciatu memorat Clericorum duodecim infantulorum modulis cantilena in Ecclesia ministrantium. Quos nunc Carthago miro colit affectu, & quasi duodecim Apostolorum chorum conspiciat puerorum. Idemque Victor ulterius addit: Universus Clerus Ecclesiae Carthaginensis fame inediaque maceratur, fere quingenti vel amplius, inter quos quamplurimi Lectores erant infantuli, qui gaudentes in Domino procul exilio crudeli traduntur. Sidonius Apollinaris lib. 4. epistol. ult. sic exorditur elogium sancti Episcopi Joannis: Lector hic primum fit minister altaris, idque ab infantia. Surtius in vita S. Caesarii die 27. Augusti refert: Eum Clero adscriptum fuisse inter ipsa infantia rudimenta, post exactum aetatis septennium. Secundum quoque Toletanum Concilium can. 1. permittit parentibus liberos suos adhuc infantes Clero devovere: Episcopis autem a parentibus oblatos tonsuram initiare a primis infantiae annis. In facis litteris legimus Samuelem a tenera infantia tabernaculo mini-

strasse. Sed illa ejus erat extraordinaria; & insolitis Dei donis insignita vocatio, quae trahi non debet in commune exemplum.

8. Can. XXII. Ut nullus ordinetur Clericus nisi probatus vel Episcoporum examine, vel populi testimonio.

Cap. nullus Clericorum, dist. 14. Huc spectant Niceni canones 10. & 19. vide inferius Carthaginensis quarti can. 22.

Can. XXIX. Ut Sacramenta altaris non nisi a jejuniis hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario, quo Canna Domini celebratur.

Cap. Sacramenta altaris, dist. 1. huc refert dictum illud Tertulliani lib. ad uxorem cap. 3. Non sciet maritus, quid secreto ante omnem cibum gesses: & si severit, panem illum non credit, qui esse dicitur. His consonat Augustinus epistol. 118. cap. 6. ad Januarium; postquam enim exemplum ibi protulit Apostolorum, qui post refectorem Agni paschalis, in ultima coena, Christo ipsis porrigente, sacram sumpserunt Eucharistiam; ista subinde verba subiungit: Nunquid tamen propterea calumniandum est universae Ecclesiae, quod a jejuniis semper accipitur? Et hoc enim placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti Sacramenti, in os Christiani prius Dominicum corpus intraret quam ceteri cibi, nam ideo per universum Orbem mos iste servatur. Docet postmodum eodem loco, quod attinet ad Paschalis diei communionem, disparem esse per diversas Ecclesias consuetudinem; alicubi enim solemnia Paschalia de nocte peragi, & alibi mane jejuniis inviolato. Ritus vero istum fuisse a jejuniis in Carthaginensi Ecclesia servatum in Paschali die, docet ipse Cyprianus epistol. 63. ad Caecilium.

9. Can. XXXII. Ut Presbyter inconsulto Episcopo non recipias poenitentem, nisi absente Episcopo, & necessitate cogente. Cujuscunque autem poenitentis publicum & vulgatum crimen est, quod universa Ecclesia noverit, ante absidem manus ei imponatur.

Cap. Presbyter inconsulto Episcopo, 26. q. 9. Tunc enim admittitur crimen jam divulgatum audienti populo declarabatur; occultum vero silebatur etiam in publica poenitentia, & reconciliatione. Vide inter dissertationes nostras secundo Saeculo insertas, illam quae est de poenitentis publicis. In secundo Carthaginensi Concilio, cui anno 397. praesedit Genedius sive Gennethlius Carthaginensis Episcopus can. 3. tria recensentur Episcopo reservata, quae potestatem Sacerdotum excedunt; scilicet poenitentium reconciliatio, Virginitas consecratio, & christiatis sacri consecratio, & habetur in Decreto, can. si jubet sanctitas, 1. cum seq. 26. qu. 6.

10. Can. XXXVIII. Illud autem suggerimus, mandatum nobis quod in Capuensi plenaria Synodo videtur statutum, non liceat fieri rebaptizationes, reordinationes, vel translationes Episcoporum. Nam Cresconius Villaregensis Episcopus plebe sua derelicta Tubienensem invasit Ecclesiam, & usque hodie communitus, secundum quod statutum fuerat, relinquere eandem, quam invaserat plebem, contempsit. Perimus secundum id, quod nobis mandatum est, ut dignemini dare fiduciam, quo jam necessitate ipsa cogente, liberum sit nobis rectorem provinciae secundum statuta gloriosissimorum Principum adversus illum audire, ut qui miti admonitioni Sanctitatis vestrae acquiescere noluit, & emendare illicitum, auctoritate judiciaria prorsus excludatur. Aurelius Episcopus dixit: Servata forma disciplinae non estimabitur appetitus, si a vestra caritate modestè conventus recedere detrectaverit, cum fuerit contemptu & contumacia faciente, etiam auctoritate judiciaria conventus. Honoratus & Urbanus Episcopi dixerunt: Hoc enim omnibus placet. Ab universis Episcopis dictum est: Iustum est, placet.

Habetur, de consecrat. dist. 4. c. non licet fieri 107. Merito solet Ecclesia adversus damnatos a se contumaces, potestatem brachii secularis implorare, ad illorum quae per ipsam decreta sunt, executionem, ut hic factum videmus. Immo etiam aliquando ad Principes infideles recurrit, ut contigit in depulsione Pauli Samosatani haerese Antiocheni Episcopi, cujus fracta est contumacia, fuitque cedere coactus potestati Aureliani Imperatoris ethnici ab Antiochena Synodo rogati ac interpellati. Duabus vero ex causis recurrere solet Ecclesia ad brachii secularis potestatem, scilicet ad fauorem decretorum adversus reos contumaces executionem; pra-

prætereaque in gravioribus clericorum criminibus, quos iudicibus secularibus, prius a se gradu & privilegiis Ecclesiasticis motos ac exauktoratos, dimittit puniendos citra poenam sanguinis & necis.

11. Can. XLII. Epigonius Episcopus dixit: Multis in Concilio hoc statutum est, ut plebes, quae in Diocesis ab Episcopis retinentur, quae Episcopum nunquam habuerunt, non nisi cum voluntate ejus Episcopi, a quo tenentur, proprios accipiant rectores, id est Episcopos. At vero quia nonnulli quodam dominatu adepti communionem fratrum abhorrent: vel certe cum elevati fuerint, quasi in arce quadam tyrannicam illic dominationem vindicant, &c.

Sanctum Basilium legimus Caesareae in Cappadocia Metropolitum, ut aemulo suo Tyanae (quae erat in secunda Cappadocia) Metropolitae numero Episcoporum praevaleret, erexisse in Episcopalem Sasmorum Ecclesiam, eique tametsi reluctante praefecisse Gregorium Nazianzenum. Praeterea Augustinus, ut ipse de se testatur epistol. 261. ad Caestinum Romanum Episcopum, in sua Diocesis oppido Fussala sedem novam constituit Episcopalem, eo quod longo ab Hippone distaret intervallo, eique praefecit Antonium Romanum de consensu Primatis Numidia, cui subiecta erat Hipponensis Ecclesia. Nunc vero potestas hujusmodi Romano Papae referatur.

Can. XLVII. Catalogum textit divinatorum librorum, quem universa complectitur Ecclesia: Tu vide quae fuis a nobis disputata sunt ad Synodum Laodicenam, de Sacrorum librorum canone, num. 2. & ad can. 59.

CONCILIIUM CARTHAGINENSE IV.

ann. Chr. CCCXCVIII.

1. Initio Pontificatus Anastasi, Honorio Augusto quartum, & Eutychemo Consulibus, ann. Chr. 398. convocatum est universale Concilium (sic enim vocatur in ipsis proloquio) ducentorum quatuordecim Episcoporum in secretario Carthaginensis Basilicae. Concilio praesedit Aurelius Carthaginensis Episcopus & universae Africae Primas. Huic inter alios interfuit Augustinus Hipponensis Episcopus. Tametsi autem inscribitur quartum, verius tamen censendum est numero quintum. Siquidem istud generale convenit Carthagine in fine anni, scilicet (ut ait ejus proloquium) sexto Idus Novembris. Illud vero provinciale, quod quintum Carthaginense dicitur, jam ante celebratum fuerat mense ejusdem anni Majo, ut ejus prologus refert, scilicet sexto Calendas Junii, post consulatum Caesarii & Attici, qui annum expleverat 397. atque ita Christianae epochae 398. Nos tamen accommodabimur communi potius errori, quam legitimo temporum ordini: proindeque discutietur primo Concilium, quod vulgari errore collocat solet & dici quartum: deinde illud explicabimus, quod pari errore quintum inscribitur, cum dicendum potius esset quartum.

2. Africa Occidentalis, quae Patriarchiae subieciatur Romani Imperii, quaeque in partitione Imperii ad Romanum Imperium Occidentis pertinebat, sex provincias complectebatur: 1. Proconsularem Africanam seu Zeugitanam. 2. Numidiam. 3. Byzacenam. 4. Tripolitanam. 5. Mauritiam Septemem seu Sitifenem, seu Tingitanam. 6. Mauritiam Caesareensem, ut constat ex Imperii notitia libro, & ex Concilii Milevitani cap. 27. varisque Carthaginensibus Conciliis. Primatis autem universalis dignitate his praerat omnibus provinciarum Carthaginensis Episcopus. In sola proconsulari provincia, in qua erat Carthago, recensiti sunt Vandalicæ persecutionis tempore centum sexaginta quatuor Episcopi, teste Victore Uticensi lib. 1. Episcopales Ecclesiae pluraquam trecentae Carthaginensi Primati obtemperabant, cum nunc temporis duae tantum vix superessent, Septensis quae Olyssiponensi Metropoli, & Tingitana quae Eborensi Metropoli subieciuntur. Duæque illae Metropoles extra Africam sitae sunt in Hispania & Lusitania. Praeter Carthaginensem universae Africae Primatem, aliis quinque singulis provinciis Africae praerat olim suis peculiaris Primas generali Carthaginensi subditus. Is vero in singulis quinque provinciis titulus praeminentiae ac primatiae non erat certa sedi vel Ecclesiae affixus; non enim alius Primas esse poterat quam antiquissimus pro tempore occurrens cujuslibet provinciae Praefectus, qui Primas & Senex aediebat, ut passim ex Synodis Africanis colligitur, & ex Optato Milevitano librisque Augustini adversus Donatistas. Hoc idem praecassarii, Notitia Ecclesiastica.

clare admonet Leo Papa nonus epistol. 4. sic scribens: In singulis Africae provinciis antiquitus Primates constituebantur, non secundum potentiam alicujus civitatis, sed secundum tempus ordinationis, quibus tamen praerat unus scilicet Carthaginensis Archiepiscopus: qui etiam non improprie dici potest Metropolitani propter Metropolitim totius Africae Carthaginem. Hactenus Leo nonus. Ista in Synodo adeo provide prospectum fuerit Ecclesiae normam ac disciplinam, ut nusquam melius aut universalius consultum legatur: utque dicti haec Synodus possit Promptuarium totius Ordinis ac regulæ Clericalis.

3. Can. 1. Multam comprehendit peritiam circa requiritas in futuro Episcopo virtutes & perfectiones; multas etiam & luculentas fidei definitiones & formas: praeterea electionis & consecrationis Episcoporum, ut qui Episcopus ordinandus est, accurate examinetur si natura sit prudens, si docilis, si moribus temperatus, si vita castus, si in victu sobrius, si semper suis negotiis & officiis cavens & intentus, si humilis, si affabilis, si misericors, si rebus saeculi liber, si in lege Domini instructus, si in Scripturarum sensibus cautus, si in dogmatibus Ecclesiasticis exercitatus, & ante omnia si fidei documenta verbis simplicibus enunciet; id est, si Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum unum DEUM esse confirmans, totamque Trinitatis substantiam consubstantialem, coessentialiam, & coaeternam, & coomnipotentem praedicat. Si singularem suamque in Trinitate personam plenum Deum, si Divinam incarnationem non in Patre, neque in Spiritu sancto, sed in Filio tantum factam credat; ut qui erat in Trinitate Dei Filius, ipse fieret in homine assumpto hominis Matris Filium, DEUS verus ex Patre, Homo verus ex Virgine Matre, carnem ex Matris visceribus trahens, & animam humanam ex praesenti creatione habens, simulque Divinitatem & humanitatem coexistentes in una Verbi persona, unus DEUS, unus Filius, unus Christus, unus Dominus Creator omnium, & Auctor, & Dominus, & Rector cum Patre & Spiritu sancto omnium creaturarum, qui passus sit vera passione, & mortuus vera corporis sui morte, resurrexit vera carnis suae resurrectione & vera animae suae resurrectione: in qua veniet iudicare vivos & mortuos. Quarendum etiam ab eo: si veteris & novi Testamenti, id est Legis, & Prophetarum, & Apostolorum unum eundemque credit Auctorem & Deum. Si diabolus non per conditionem, sed per arbitrium factus sit malus. Quarendum etiam ab eo: Si credat hujus, quam gestamus, & non alterius carnis resurrectionem. Si credat iudicium futurum, & recepturos singulos pro his, quae in carne gesserunt, vel gloriam, vel poenam aeternam. Si nuptias non reprobet: si secunda matrimonia non damnet: si carniis perceptionem non culpet: si poenitentibus reconciliatis communicet: si in baptismo omnia peccata, id est, tam istud originale, quam illa quae voluntarie admitta sunt, dimittantur: si extra Ecclesiam Catholicam nullus salvetur. Cum in his omnibus examinatus inventus fuerit plene instructus, tunc cum consensu Clericorum, & laicorum, & conventu totius provinciae Episcoporum maximeque Metropolitani vel auctoritate, vel praesentia, ordinatur Episcopus. Suscepto in nomine Christi Episcopatus, non sine delectatione, nec suis moribus, sed his Patrum definitionibus acquiescat. In cuius ordinatione aras etiam requirantur, quam sancti Patres in praedictis Episcopis constituerunt.

4. Can. II. Episcopus cum ordinatur, duo Episcopi ponant & teneant Evangeliorum Codicem super caput & cervicem ejus, & uno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes Episcopi, qui ad sunt, manibus suis caput ejus tangant.

Can. III. Presbyter cum ordinatur, Episcopo cum benedicente, & manum super caput ejus tenente etiam omnes Presbyteri, qui praesentes sunt, manum suam juxta manum Episcopi super caput ejus teneant.

Can. IV. Diaconus cum ordinatur, solus Episcopus qui eum benedicit, manum super caput ejus ponat: quia non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecratur.

Can. V. Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de Episcopi manu accipiat vacuam, & calicem vacuam; de manu vero Archidiaconi urceolum cum aqua, & mantile, & manutergium.

5. Can. VI. Acolythus cum ordinatur, ab Episcopo quidem doceatur, qualiter in officio suo agere debeat: sed ab Archidiacono accipiat cerosarium cum cereo, ut sciat se ad accendenda Ecclesiae lumina mancipari. Accipiat & urceolum vacuam, ad suggerendum vinum in Eucharistiam sanguinis Christi.